

- loco sit judicium finale peragendum? Ex Angelica Scholâ D. Thomas in 4. dist. 48. q. 1. art. 4. & Opuscul. 60. cap. ult. Paludianus in 4. dist. 47. q. 1. art. 1. Lezana verb. judiciam, num. 15. Nazarius tom. 6. tract. de judic. in 3. p. q. 8. D. Antoninus 4. p. tit. 14. cap. 11. §. 5. & seqq. in 67. Ex Subtili Scholâ Scotus in 4. dist. 47. q. 1. Brancatus tom. 4 disp. 10. art. 3. Carriere tom. 1. art. 7. q. 3. Cotonius tom. 1. lib. 5. Contr. 1. cap. 1. art. 1. Poncius tract. 5. disp. 19. q. 10. & seqq. Hiquæus in 4. dist. 47. q. 3. art. 1. Castillent. in Polyanth. Seraph. verb. judicium, num. 16. & seqq.
68. Ex Scholâ Eximiâ Suarez in 3. p. disp. 53. sect. 3. & seqq. Valentia disp. 21. q. 4. p. 2. Tannerus disp. 2. q. 4. dub. 3. Ex alius D. Bonaventura in 4. dist. 48. dub. 1. Alensis 1. p. q. 25. memb. 2. Abulensi. q. 331. in cap. 25. Matth. Gaudentius tom. 6. disp. 43. q. 23. Bassio verb. judicium, num. 12.
69. QUÆST. 3. An damnati videbunt humanitatem Christi Domini gloriolam? De quo, hic q. 1.
70. QUÆST. 4. An, & quomodo mundus sit renovandus, purgandusque per ignem? De quo, dist. 47. q. 15.
71. QUÆST. 5. An judicaria potestas primò & per se toti Trinitati conveniat? De quo, dist. 47. q. 11.
72. QUÆST. 6. An Christus Dominus erit in judicio finali secundùm divinitatem visibilis? De quo, hic q. 1.
73. QUÆST. 7. An Christus Dominus apparebit in nube, & ex qua materia fiet? De quo, hic q. 1.
74. QUÆST. 8. An, & quomodo in die judicii Sol obscurabitur, & Luna non dabit lumen suum? De quo, dist. 47. q. 2.
75. QUÆST. 9. An, & quæ signa præcedant judicium generale? De quo, dist. 47. q. 2.
- Et omnes aliae quæstiones, quæ pro distinctiones 47. excitantur,



DE DIFFERENTIA MANSIONUM IN Cœlo, & Inferno.

DISTINCTIONIS QUADRAGESIMÆ-NONÆ SYNOPSIS.

Judicio factò, geminas fore credimus urbes;

E quibus hac diti cesserit, illa Deo.

Sic incipit: Post resurrectionem.

Sic terminat: Quod fuit sarcina.

1. Connectitur hæc distinctio cum superiori. In illâ egit Magister de formâ, & majestate judicis, aliisque ad judicium pro illius plenâ, & perfectâ expletione spectantibus; sed in præsenti determinat de bonorum, ac malorum finali remuneratione: ergo rectè inter se præfatae consonant distinctiones.

2. Consequens probatur: Ad pleni, perfectique judicii essentiam spectat, ut quamprimum à judice expletur, executioni mandetur remunratio per ipsius sententiam facita; sed Magister in superiori distinctione egit de formâ, & majestate judicis, aliisque spectantibus ad judicium pro illius pleno, perfectoque complemento: ergo in præseanti determinare de bonorum, ac malorum finali remuneratione per judicis sententiam sanctâ, haud dubiè rectum ac congruum erit servare ordinem.

3. Dividitur hæc præsens distinctio in tres præcipuas partes. In quarum primâ Magister, remunerandorum, scilicet beatorum, ac damnatorum inæqualitatem meriti, & præmii distinguit. In secunda verò declarat, qualiter omnibus insit beatitudinis desiderium. In tertia autem, & ultimâ ostendit, quomodo Sanctorum beatitudo erit major post judicium, ac modò est.

4. PRO PRIMÆ igitur partis ostensione, hoc primum præfigitur theorema: Sicut beatorum civitas post judicium erit complenda inæqualibus gradibus gloria; ita damnatorum civitas inæqualibus gradibus paene. Hoc deducimus ex Magistri textus litterâ, ubi duas post uni-

versale judicium civitates construit; unam Christi; aliam diaboli; unam bonorum; malorum alteram; utramque tamen Angelorum, & hominum. Quarum civitatum incolæ non in æqualem suæ faustæ, aut miserae fortis partem veniunt.

5. Probat primum Magister geminam theorematis partem ex Augustino in Enchir. cap. 111. sic de inevitabili beatorum ac damnatorum fato alloquente: *Sed in beatitudine isti, aliis alio præstabilius; in miseria vero illi, aliis alio tolerabilius permanebunt.* Sed dum in beatitudine isti, aliis alio præstabilius, & in miseria illi, aliis alio tolerabilius permanebunt, nec beati in eorum civitate erunt æquales in gloria, nec damnati in suâ æquales in pœna: igitur beatis, & damnatis non æqualis gloria, & pœna ipsis respondet post judicium finale.

6. Secundo probat, & præsertim de Sanctorum beatitudine ex Joan. cap. 14. dicente: *In domo Patris mei mansiones multæ sunt.* Sed mansionum multitudo in Cœlo differentiam beatorum significat: ergo cùm beati in Cœlo non differant, nisi penes majorem, aut minorem visionis, vel fruitionis excessum, non erunt omnes in æternâ gloriâ æquales.

7. Tertiò, id ipsum respectu utriusque civitatis civium confirmat ex Joanne Chrysostomo in litterâ Magister, his verbis: *Sicut enim in domo Patris, id est, in Regno Cœlorum, mansiones multæ sunt, sive præmiorum differentia; ita & in gehenna diversa sunt mansiones, sive suppliciorum differentiae.* Sed à differentiâ præmiorum, suppliciorumque desumitur æqualitas, aut inæqualitas gloriæ, aut pœnæ: ergo cùm in iis civitatibus multæ præmiorum, suppliciorumque differentiae sint, non omnes earum incolæ æqualiter venient in partem gloriæ, & pœnæ.

8. Quartò suadet ex Parabolâ de denario diurno apud Matthæum cap. 20. ubi, et si Pater familiâs dederit omnibus denarium diurnum, qui operari sunt in vineâ, non tamen omnibus pariter; sed nomine denarii, aliquid omnibus electis commune intelligitur, vita quippe æterna, sive gloria: ergo quanvis electis omnibus beatitudinis donum erit commune, non tamen æqualiter ab omnibus participabitur.

9. Quintò etiam ex Apostolo 1. Corint. cap. 15. suum præmunitum: *Stella à stella differt in claritate; sic & resurrectio mortuorum.* Sed stellæ beatos referunt: ergo quemadmodum una stella ab aliâ dissidet claritate; sic unus beatus ab alio beatitudine differt; sed non omnes stellæ sunt in claritate æquales: ergo nec beati omnes in beatitudine; sed alii aliis perfruentur pleniū.

10. Sexto ratione: Præmium, & supplicium meritis, & demeritis

tis semper respondere debent: ergo sicut ex meritorum, aut demeritorum æqualitate arguitur æqualitas præmii, & supplicii; sic ex meritorum, aut demeritorum inæqualitate inæqualitas primii, & supplicii consequitur; sed tam beati, quam damnati omnes non sunt æquales in meritis, aut demeritis: ergo non omnibus æquale præmium, aut supplicium debet respondere: ergo in his à Magistro constructis civitatibus, nec beati æqualem gloriam, nec damnati pœnam participabunt, sed utrobique gradus quidam diversi vigebunt.

11. Confirmatur: Si in illâ speciosâ cœlestique beatorum Curia omnia essent æqualia, omnia non essent omnia; sed in civitate illâ Dei nostri omnia sunt omnia: ergo omnia non sunt æqualia. Major probatur: Illâ cœlestis Curia non esset beatorum sedes, si non esset perfectissima; sed si omnia essent æqualia, non esset perfectissima: ergo si ibi omnia essent æqualia, omnia non essent omnia. Minor probatur: Ordo in rebus conductus ad perfectionem; sed si omnia essent æqualia, non esset ordo: ergo nec perfectio; atque adeò ut civitas illa superna sit omnino perfecta, illius cœlestes accolæ non debent esse in beatitudine pares.

12. Sed oppones: Si in beatitudine inæquales forent beati, recipirent magis, aut minus; sed ibi non recipient magis, aut minus: ergo non erunt in beatitudinis dono inæquales. Minor probatur: Beatitudo essentialiter consistit in participatione Dei, qui est summum bonum infinitum, & omnino invariabile; sed ex eo quod sit summum bonum infinitum, & omnino invariabile, nequeunt beati recipere magis, aut minus: ergo cùm in supernâ illâ civitate ejus cœlestes accolæ non recipiant magis, aut minus, non erunt in beatitudinis dono inæquales.

13. Respondetur communiter negando Consequentiam. Quia, et si beatitudo objectiva sit summum bonum, infinitum, & omnino invariabile; tamen beatitudo formalis, de qua hic agimus, consistit in assequitione illius summi, infiniti, & invariabilis boni per actus potentiarum beati: Cùm ergo beati omnes non æquè per suos actus assequantur illud summum, & infinitum bonum, quia in meritis inæquales censemur, erunt in beatitudine formalis inæquales, quanvis in objectivâ beatitudine suppare arbitrentur omnes.

14. Cæterum, cùm Magister utramque theorematis partem indiscriminatim in litterâ probare tentet, & nos de inæqualitate beatorum gloriæ, præsertim in ipsius propugnatione hæc tenus egerimus, solùmque obiter de damnatorum inæquali pœna; modò uberioris de hoc impari reproborum æterno supplicio disserere decrevimus, ut gemina-

conclusionis pars sub probatione deprehensa magis eluceat.

15. Verum, cum iurgium inter Doctores non sit de sensu poena, quae infligitur ab igne, frigore, aut quavis aliâ noxiâ qualitate hominem cruciante, & quam Deus unicuique damnatorum reddit secundum eorum opera, eo quod oriatur ex imparibus operibus malis, quibus necessario dispar correspondet poena. Versabitur igitur dissidium circa aliam damnatorum poenam, damni quippe, quae consistit in amissione vita eternae, sive in carentia involuntaria, aut privatione visionis, sive fruitionis beatae. Unde hoc est, quod in dubium vertitur cum Magistro: An damnati omnes in poenâ damni, sive visionis beatæ privationis aequalem partem veniant? Cui respondet Magister negative in litterâ, & nos iis obnitorum suadere rationibus.

16. Primo: Quemadmodum beati omnes intuentur Deum media visione beatâ; ita damnati omnes privantur ipsâ beatâ visione; sed visionis donum non est aequalis in cunctis beatis, ut nuper cum Magistro expendimus: ergo nec privatio prefatae visionis beatæ poterit damnatis omnibus convenire aequaliter. Minor liquet; nam visio beatâ confertur propter merita; & haec reverâ in beatis inæqualia deprendimus: ergo visionis beatæ privatio necessario erit inæqualis in damnatis, eo quod mensurari debeat justa aequalitatem, aut inæqualitatem ipsius visionis beatæ, aut formæ, cuius est privatio.

17. Secundo: Privatio formæ semper mensuratur cum ipsâ formâ positivâ, cuius est privatio; sed forma, quâ privantur damnati, visione, aut fruitione nimis beatâ, non esset aequalis omnibus, esto ab ipsis assequeretur: ergo nec privatio erit aquare conveniens omnibus. Consequentia probatur: Cœcus ut quatuor plus censetur visu privatus, quam cœcus ut quo; sed privatio mensuratur cum intentione formæ, cuius est privatio: ergo cum cœcus ut quatuor plus recedat à visu, quam cœcus ut duo, intensiori privatione privabitur: ergo cum sic discursandum veniat de damnatis respectu formæ, quâ privantur, discursus erit legitimus.

18. Tertio: Sicut beatorum merita majos, aut minus in merendo referunt præmium; sic damnatorum peccata majus, aut minus supplicium in demerendo; sed præmium quod beatis confertur ob merita, non est aequalis omnibus: ergo nec damni supplicium, quod damnatis ob eorum peccata infligitur, erit aequalis.

19. His instantiis sic passim respondet nonnulli, ipsarum vim retardare tentantes, quod visio beatâ cum sit forma positiva recipiens magis, aut minus, constituit beatos inæquales in patriâ: At privationes

cum

cum non sint formæ positivæ, immo harum absentiae, nec recipientia magis, aut minus, non poterunt constituere damnatos inæquales in poenâ damni, sed in eodem supplicio suppares debent censeri.

20. Verum in ipsis, ejusque solutionem sic primò urgeri poterat: Privationes ex Philosopho nihil aliud, quam formarum absentiae arbitrantur; sed ex formis positivis una est intensior aliâ, recipiensque magis, aut minus: ergo & ex privationibus harum formarum una erit intensior, recipiensque magis, aut minus, quam alia ergo visionis beatæ privatio bene poterit in damnatis poenâ damni inæqualitatem arguere.

21. Contra secundò: Omnis privatio sequitur conditionem formæ, cuius est privatio: ergo privationibus formarum, quæ inæqualia referunt intentionem, necessario correspondet inæqualitas; aliter ex inæqualitate intentionis formarum posset quis legitimo discurso deducere aequalitatem privationis intentionis earum, & è contra, quod à rectâ procul dissidet ratione.

22. Contra tertio: Quanvis privatio, eo quod forma positiva non sit, non recipiat magis, aut minus realiter, & positivè; tamen privativè seu aequivalenter recipit magis, aut minus: ergo si ex formis positivis una est intensior aliâ realiter, & positivè; consequenter ex privationibus illiarum una erit intensior aliâ privativè: ergo poena damni, quanquam sit visionis beatæ privatio, in cunctis damnatis non erit suppar.

23. Sed oppones primò: Eodem beatifico objecto privantur parvuli damnati, ac adulti; sed parvuli omnes aquare privantur illo beatifico objecto: ergo & adulti omnes; sed eo quod illo beatifico aquare privantur, poena damni cunctis parvulis est aequalis: ergo & aequalis erit cunctis adultis damnatis ex eo quod aquare privantur illo beatifico objecto.

24. Respondetur, quod etsi parvuli, & adulti damnati eodem beatifico objecto privantur; tamen non omnes adulti, sicut parvuli aequaliter privantur; cum ob idem motivum non privantur. Nam parvuli ob Originalem noxiam duntaxat beatifico privantur obtutu, quæ omnibus est aequalis; at adulti ob propria privantur peccata, in quibus damnati omnes non coæquantur, ideoque in poenâ damni ipsis correspondentem coæquari non poterunt.

25. Oppones secundò: Omnes damnati dono visionis beatæ existant privati: ergo dono illo unus plus alio non denudatur; sed ex eo quod unus plus alio non denudetur visionis beatæ dono, poena damni est aequalis damnatis omnibus: ergo respectu poenâ damni omnes damnati suppares censentur.

Si

26. Si hac urgeret instantia, præsertim premeret oppositæ sententiæ Alſeclas, sub hâc arguendo formâ: Omnes beati sunt participes dono visionis beatæ: ergo omnes æqualem referunt visionem beatam in patriâ? Non sequitur: ergo quanvis damni omnes extent dono visionis beatæ privati, non exindè arguitur, æqualem fore in omnibus poenam damni.

27. Respondetur negando Consequentiam. Quia, et si damnati omnes visionis beatæ dono exuantur, tamen non æquali privatione privantur omnes. Et quidem; nam culpa ob quam denudantur dono illo superno, una est gravior alia, & consequenter una privatio erit major, & intensior alia: ergo ex præcisâ, absolutâque visionis beatæ privatione, incongrue, & illepidè deducitur æqualitas poenæ damni in damnatis omnibus. Unde, ex toto progressu colligitur, quod nec Civies omnes illius supernæ civitatis referent æqualem beatitudinem; nec poenam æqualem sensi, & damni omnes incolæ civitatis diaboli.

28. Ulterius, et si de beatitudine formalí differat Magister in litterâ, obiter tamen, & indecismam dimittit difficultatem de illius formalí constitutivo exortam inter Doctores Scholasticos: An, scilicet, in folâ visione, aut in fruitione solâ, vel in utroque intellectus actu, & in quo principalius beatitudo nostra formalis consistat? Verum Magistri littera favere videtur opinioni astriuenti illam in intellectu, eliminatis tamen omnibus præcisionibus, quibus in Scholis formâ, & methodo argumentariâ hæc exagitatur quæstio; nam his approbatis, unusquisque poterit pro suâ sententiâ Magistrum in Patronum aducere.

29. Quod ergo beatitudo formalis consistat in cognitione clarâ, & intuitivâ Dei, probat primò Magister ex Joanne cap. 17. dicente: *Hac est vita aeterna, ut cognoscant Te verum Deum.* Sed beatitudo formalis stat in assequitione vitaæ aeternæ: ergo si intueri Deum verum est vita aeterna, beatitudo formalis consistet in clarâ, intuitivâque cognitione Dei.

30. Secundò probat: Deus est summum, & infinitum bonum, quod Sancti beantur in patriâ; sed hoc summum, & infinitum bonum nequit assequi à beatis, nisi intuitivâ cognitione: igitur formalis Sanctorum beatitudo stat in intellectus actu, quod cognoscimus Deum. Ab his ultronei supersedemus, quia Magister, ut diximus, obiter hanc rem pertractat. Et hæc de primâ distinctionis parte sufficiant.

31. PRO SECUNDÆ vero partis perspicua indagine, hoc secundum apponitur theorema: *Omnis homo appetit beatitudinem in communi, non verò in particulari.* Hoc deprehendimus ex Magistro in-

quirente in litterâ: Quomodo intelligendum sit, omnes appetere beatitudinem, & non omnes beatitudinem cognoscere? Mirum quidem est, eam appetere, & ipsam non intueri.

32. Primam theorematis partem probat primò Magister ex Augustino lib. 13. de Trinitate, cap. 4. dicente: *Capeſſendæ, retainendæque beatitudinis, una eſt voluntas omnium.* Sed dum una est omnium voluntas beatitudinis capeſſendæ, retainendæque, omnes homines appetunt beatitudinem in communi: igitur omni homini datum est beatitudinem in communi appetere.

33. Secundò, etiam ex eodem Augustino cap. 1. id ipsum firmat Magister in litterâ: *Verum eſt, omnes homines velle eſſe beatos, ardentissimo amore appetentes.* Sed dum ardентissimo amore omnes homines appetunt velle eſſe beatos; consequenter & beatitudinem ipsam tanquam formam eorum constitutivam appetunt: ergo beatitudo in communi est proprium appetitus rationalis cuiuscunque hominis.

34. Tertiò ex Cicerone in Hortensio cap. 19. iterum suadet his verbis Magister: *Beati certè, omnes eſſe volamus. Absit, ut hoc falso ſum eſſe dicamus.* Ergo si nihil falso dicimus, imo verum, dum proferimus, omnes homines velle eſſe beatos, reverâ ex consequenti palam ostendimus, omnem hominem beatitudinem appetere: igitur beatitudo in communi à rationali naturâ appetitur.

35. Quartò probat ratione: Idem eſt velle beatè vivere, ac velle secundum virtutem animi vivere, eò quod videatur nimis absurdum, velle vivere beatè, & nolle secundum virtutem animi vivere; sed omnis homo naturaliter exoptat vivere secundum vitutem animi: ergo & beatè vivere; sed hoc eſt beatitudinem in genere appetere: igitur omnis homo naturaliter in genere beatitudinem appetit.

36. Quintò: Rationalis natura appetit naturaliter bonum sibiipſi sufficiens, eò quod desiderium hoc eiga illud sit inditum mentibus omnium hominum à naturâ; sed nullum bonum sufficit implere desiderium, sive appetitum rationalis naturæ, nisi beatitudo: igitur omni homini per naturam convenit appetere beatitudinem in generali.

37. Secundam theorematis partem etiam probat primò Magister: Non omnes beatitudinem in particulari sive in specie agnoscunt: ergo non omnes eam unanimiter in particulari appetunt. Antecedens probat: Quidam enim beatiti direm in honore; alii in divitiis; alii in voluptate corporis; alii demum in virtutibus constitunt; sed non sic in particulari beatitudinem constituerent, si eam in particulari agnoscerent: igitur in particulari sive in specie non omnes beatitudinem ag-

nos-

noscent; ac proinde non appetunt, cum omnes unanimiter appetere non possint, quod omnes unanimiter non agnoscunt.

38. Confirmatur primò ex Augustino lib. 10. de Trinit. cap. 1. & 2. dicente: *Invisus pessimus diligere, incognita nequaquam*; sed quamplures extant ex hominibus, qui ignorant quid sit, & ubi sit beatudo vera, cum eam in deliciis, honoribus, voluptatibus, aut virtutibus constituant: ergo veram in particulari beatitudinem non appetunt omnes homines, eò quòd verè eam non agnoscant.

39. Confirmatur secundò: Si ab homine avaro quæras, utrum veram appetat beatitudinem, velitque eam assequi? Respondebit, quòd sic: Si autem ab ipso iterum perquiras, utrum velit paradísum, vel denarium? respondebit, denarium; sed non sic responderet, si veram in particulari beatitudinem agnosceret: ergo quia non omnis homo veram in particulari beatitudinem suā cognitione assequitur; consequenterque nec eam appetit.

40. Secundò: Vera beatitudo consistit in assequitione Dei summi, & infiniti boni per arduum exercitium virtutum; sed per virtutum exercitium arduum non omnes homines pergere volunt: ergo quia non omnes homines appetunt in particulari beatitudinem. Consequentia probatur: Si omnes homines in particulari appeterent beatitudinem, omnes per arduum virtutum exercitium pergere vellent: ergo dum omnes pergere nolunt, bene colligitur, non omnes in particulari appetere velle.

41. Tertiò probat ex litterā Magister: Ille est verè beatus, beatitudinemque in particulari appetit, qui & habet omnia, quæ vult, & nihil vult male; sed non omnis homo habet omnia, quæ vult, & nihil vult male, ut comperto experientia habetur: ergo quia non omnis homo verè in particulari, sive in specie beatitudinem appetit.

42. Sed oppones primo: Omnis homo appetit deliciose vivere; sed appetere deliciose vivere, est uniuscujusque beatitudo in particulari: igitur omnis homo appetit beatitudinem in particulari.

43. Respondetur negando Minorem, & Consequentiam. Nam secundū delectationem vivere non est hominis beatitudo, cum paßim sit miseria. Quamplures enim deliciae, voluptatesque dedecent naturam rationalem; quæ autem non decent rationalem naturam, non illam beatam, sed miseram constituunt.

44. Oppones secundo: Omnis homo ita appetit beatitudinem in communi, ut nullus in appetendo intercedat error: ergo & omnis homo poterit beatitudinem in particulari appetere absque ullo errore. Consequentia probatur: A ratione in communi ad particularem facilis est, ex Philosopho, descensus per cognitionem; sed omni homini datum est

appetere, simulque cognoscere beatitudinem in communi: ergo & appetere, & cognoscere in particulari.

45. Respondetur negando Consequentiam. Ad probationem nego Majorem, & Consequentiam. Quia, et si omnis homo pollet appetitu, & cognitione beatitudinis in communi, quia omnes cognoscunt, illam consistere in bono cunctum rationalem appetitum explente; tamen dum in speciali tentant appetere, & cognoscere, sive à cognitione beatitudinis in generali ad eam in speciali descendere, declinat interdùm affectio, & à veræ beatitudinis cognitione deflectit.

46. Quod exp̄s̄e hoc comprobatur simili: Qui enim exoptat emere aurum, & credit hoc frustum aurichalci esse aurum, & frustum auri credit esse aurichalcum; si ab eo exquiras in generali, quid velit emere, respondet, aurum. Et si iterum inquiras, quid frustum vult emere, respondebit, quòd hoc, demonstrato aurichalco: Sic etenim, et si omnis homo in generali appetat, cognoscatque beatitudinem; non exinde colligitur, quòd etiam appetat, & eam in speciali agnoscat. Non valet à rationis communis beatitudinis cognitione deviare, tametsi ab ea in speciali deflectere possit.

47. Consentaneo his, duo avidè inquirit Magister. Primum: An ex omni beatorum agmine unus plus, quam alius de Deo cognoscat. Et respondet negative, his verbis: *Omnis ergo cuncta illa videbunt, quorum cognitio servit beatitudini; sed in modo videndi differunt.* Quod una, aut alia ratione satis firmat in litterā.

48. Primò: Quia omnes beati cognoscent in patria ea, quæ ad unitatem, & Trinitatem Dei spectant; sed nihil est in Deo, quòd ad ipsius unitatem, & Trinitatem non spectet: ergo cum omnes beati debant intueri Deum in patria, nihil ibi de Deo cognoscet unus, quod non intelligant omnes.

49. Secundò: Clara, & perfecta beatorum cognitione consequitur per speciem propriam, & intuitivam, quæ unam perfectionem ab aliâ ex parte objecti non præscindit; sed dum beatorum intuitiva cognitione unam perfectionem ab aliâ ex parte objecti non præscindit, omnes, quæ de Deo ad beatitudinem spectant, cognoscit: ergo in his, quæ ad beatitudinem conferunt, non plus unus, quam alius de Deo cognoscat.

50. Sed dices: Non omnes beati sunt æquales in beatitudine formalis: ergo quia in his, quæ beatitudinem referunt, unus aliquid in patria cognoscit, quod non intelligunt alii. Consequentia probatur: Si unus, ex toto beatorum cœtu, cognosceret de Deo, quidquid omnes alii intelligunt; & omnes beati quidquid unus comprehendit, revera-